

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Friderici Iacobi Beyschlagii, Gymnasii, quod Halæ Suevorum est, Adiuncti, & ad ædem S. Mich. Archangeli Catechetæ extraordinarii, Sylloge Variorum Opusculorum

(Programmatvm, Orationvm, Epistolarvm, Poematvm, Dissertationvm, Aliarvmqve Observationvm ...)

Fascicvlos I.II.III.IV.V. Ab Annis MDCC.XXVII.M.DCC.XXVIII.M.DCC.XXIX. Editos, Complexvs. Cvm Indice Triplici.

Beyschlag, Friedrich Jakob

Halae Suevorum, M.DCC.XXIX

II. Expositio fidelis de morte D. Thomae Mori et quorundam aliorum insignium virorum in Anglia.

urn:nbn:de:gbv:45:1-16134

II.
EXPOSITIO
fidelis de morte
D. THOMÆ MORI
et quorundam aliorum insignium
virorum in Anglia.
Anno M. D. xxxv. 4t. plag. 3.

PRAEFATIO EDITORIS.

Licet viderit Londini An. 1726. vita Thomæ Mori, Equitis, & supremi Angliæ Cancellarii sub Henrico VIII. Anglicano sermone dudum scripta, à Thoma Moro, Thoma illius abnepote, & ante hos ipsos centum annos, An. 1627. dicta in urbe edita, nuper vero ob raritatem suam & præstantiam, recusa. Describunt hanc editionem Viri doctissimi, qui Acta Eruditorum Lipsiæ Latino sermone colligunt, Mense Jan. An. 1727. p. 31. seqq. qui ipsi iam An. 1718. p. 475. seqq. eiusdem Thomæ Mori vitam, à Guil. Ropero, illius genero, qui filiam Mori, Margaretham, incomparabilem feminam, in matrimonio habuit, exaratam, & à Thoma Hearnio, A. 1716. Oxonii foras datam,

tam, diligenter recensuerunt. Vnde miratus nuper sum, qui factum sit, ut Roperus scripserit, Socerum suum, Thomam Morum A. 1537. capite truncatum esse, in quo ipsum falli dicunt Celeb. Act. Erud. collectores, & recte An. 1535. substituunt. Videtur mihi tamen per errorem potius typographicum in assignando fatali ipsius anno esse aberratum: neque is enim Roperum fugere, aut memoria eius excidisse potuit. Est mihi in manibus perrarum illud scriptum trium plagularum, cuius modo titulum legisti, quod de supplicio Mori exponit, & eodem An. 1535. consignatum est. Equidem neutra illius vitæ descriptio, in Anglia edita, mihi præsto est, adeoque nec dicere possum, an huius scripti mentio ibi occurrat; saltem id conicio, integrum illud in neutro illorum librorum exhiberi, cum Actorum Eruditorum Collectores id indicare forte non intermisissent. Præterea cum Londini nuper publicata Thomæ Mori vitæ in Germaniam nostram pauca admodum translata esse videantur exempla, etiam hoc nomine in nullius forte reprehensionem incurram, quod id scripti, in quo haud pauca alia notatu digna insunt, hic loci recusum sisto; si vel maxime locum, quod dubito, in laudato libro iam invenerit. Præmittere illi iuvat,

ad

ad nonnulla facilius intelligenda, Thomæ Mori Elogium, non illud, quod à Paulo Jovio habemus, sed quod ad eundem tamen, cum quorundam aliorum Anglorum elogiis, à Georgio Lilio, Britanno, perscriptum fuit. Depromsi istud ex libro quodam cum præfat. Bas. Jo. Heroldi, Basileæ 1571. 8. edito, sub tit. Pauli Jovii Novocomensis Episcopi Nucerinii Descriptiones, quotquot extant, regionum atque locorum, &c. Primo loco occurrit Jovii Britannia, Scotia & Hyberniæ descriptio. Vbi cum inter doctos Britannos iure quoque Guil. Lilius, & huius filium Georgium Lilius retulisset, his usus verbis: Georgius Lilius in Italia elegantioribus studiis excultus, mirifice paternum decus tuetur condito volumine, in quo Summorum Pontificum & Cæsarium Romanorum series Laconica brevitate describitur. Ab eodem quoque solerti ingenio Britannia tabulam spectamus erudite graphiceque depictam, ac ideo incisam in æs, ut cum hoc opere ad certiore iucundio remque regionis notitiam coniungatur: Hæc, inquam, cum Jovius de Ge. Lilio ibi scripsisset; contigit, ut paulo post idem Ge. Lilius, in grati sine dubio animi signum, Virorum aliquot in Britannia, qui ipsius seculo

*Saculo eruditione & doctrina clari memorabiles-
que fuerunt, Elogia, ad Paulum Jovium mitte-
ret, in supplementum quasi eorum, quæ Jovius
de quibusdam claris Britannia ingenis, in ista
sua eius Regni descriptione, quam peregregiam
Lilius vocat, attulisset; addit Lilius, istos
viros, quorum elogia concinnasset, se omnes
prope de facie cognovisse. Exhibet autem
ibi Elogia p. 86. Jo. Coleti, (a) p. 89. Guil.
Lilii, p. 91. Guil. Grocinii, p. 92. Thomæ
Linacri, p. 94. Thomæ Lupseti, p. 96. Ri-
cardi Pacæi, p. 98. Joannis Roffensis Card.
p. 100. THOMÆ MORI, & p. 102. Gulielmi
Latemerii. Ex his Thomæ Mori Elogium inte-
grum huc transferre iuvabit.*

**THOMÆ MORI Elogium,
Scriptore Ge. Lilio, Britanno.**

„**THOMÆ MORO** vel eo magis pro-
„pria, ac privata quædam doctrinæ laus
„debetur, quod circumfusæ Oceano mari
„Insulæ terminos vix unquam egressus,
„eruditi ingenii fama maximam Europæ
partem

(a) Huius vita luculenter Anglicano sermone
descripta à Sam. Knight, Th. D. & Præben-
dario Eliensi, prodiit Londini 1724, 8. &
recen-

partem doctissimorum iudicio impleve-
rit. Hic Londinensis civis, honesta fa-
milia natus, suo ipsius studio atque in-
dustria, nullo præeunte magistro, ad
exactam latinarum literarum cognitio-
nem, Græcas etiam expedita quadam di-
ligentia adiunxit: ut & latine recteque
scribere, & ex Græcis Latina facere,
quamprimum felicissime didicerit. Sed
à literarum studiis ad forenses causas
traductus tanta iudicii æquitate, & pru-
dentia enituit, ut mox ab Henrico VIII.
Rege ad maxima Reipubl. munera capes-
senda, sola virtutis commendatione vo-
caretur, ac denique per summos homi-
num

recensetur in Actis Erud. Lips. Suppl. T. IX.
Sect. V. p. 206. seqq. Cui vitæ descriptioni
si Des. Erasmi Rot. qui summus Coleti amicus
fuit, eius vitæ partis, quam in Anglia
transegit, egregia enarratio, ab eodem au-
ctore Cantabrigiæ 1726. 8. mai. edita, &
in iisdem Actis Erud. 1727. p. 34. sqq. de-
scripta, una cum supra memorata Thomæ
Mori vita addatur, res literaria illius ævi,
quod celeberrimi hi Viri in Anglia decur-
rerunt, mirum in modum inde illustrari, isq;
labor aliis merito exempli loco esse poterit.
conf. Heumanni Consp. Reip. Lit. cap. VII.
§. 9. — 13. edit. auctioris, Hanoveræ, 1726. 8.

„ num gradus Britannico more, supremus
 „ Regni Cancellarius dictus est, quod mu-
 „ nus in Reipublicæ gubernatione & di-
 „ gnitate & auctoritate apud Britannos
 „ longe maximum habetur: quo in offi-
 „ cio ita sancte & sincere se gessit, ut fidei,
 „ iustitiæ, & prudentiæ laus summa com-
 „ muniter ei ab omnibus tributa sit. Sed
 „ mox sub eodem Henrico Rege, orta de
 „ Catharinæ Reginæ coniugio controver-
 „ sia, quam ille omnibus modis repudia-
 „ re, Annam Boleniam thoro inducere, fi-
 „ liamque Regni heredem abdicare con-
 „ tendebat: Morus, quum per eum, quem
 „ gerebat, magistratum, pristinam vitæ
 „ integritatem, haudquaquam se tueri pos-
 „ se, prævideret, ut non pessimorum in-
 „ terea consiliorum, aut minister, aut
 „ particeps fieret, ab omni negotiorum
 „ tumultu se subducens, dignitate sponte
 „ se abdicavit. Sed ne sic quidem com-
 „ moti iam Regis animus in privato in-
 „ nocentissimi hominis otio leniri potuit,
 „ quin perpetuis primo carceribus tradi-
 „ tum ac postea iniquissimo iudicio con-
 „ demnatum, eadem (b) securi subiecit,
 „ qua

(b) Sic legitur impressum, rectius, eidem.

qua paucos ante dies sanctissimum vi-
rum Roffensem Episcopum & Cardina-
lem, regenti adhuc cæde percusserat. Fa-
miliam liberorum quatuor honestissimo
patrimonio ditatam reliquit, & prius-
quam obiret ipse, undecim nepotibus
auctam, præcipue autem in eadem filias
tres, literis (c) ac moribus sanctissime per-
ornatas. Extant eius adolescentiæ studia,
libellus Progymnasmatum titulo inscri-
ptus, in quo cum Gulielmo Lilio (d) eius
ætatis æquali, in vertendis aliquot Græcis
Epigrammatibus, eodem argumento con-

Tom. I. Fasc. II.

Q

cer-

(c) Vnde Paulus Iovius in Britannia descriptione p. m. 26. „Aulæ, inquit, & foro Gallicus sermo familiaris, adeo, ut ad nobiliores etiam feminas perveniat: nam apud nobiliores Latinæ quoque orationis lepor in honore est, sicuti in ipsa præsertim Henrici Regis filia Maria, & tribus Thomæ Mori filiabus, vehementer admiramur. „

(d) Pater hic sine dubio fuit Ge. Lili, cuius & paulo ante elogium, à Ge. Lilio ipsi dicatum, legitur, in quo p. m. 90. sic de eo scribit: „ In vertendis Græcis aliquot Epigrammatibus cum Th. Moro adolescens contendit, „

„ certavit. Sunt & nonnulla ipsius Epigramma-
 „ ta, & inventione, & sententiarum argucia,
 „ felici quodam genio conscripta: Præter
 „ cetera Utopia ad beatæ Reipublicæ opti-
 „ mis legibus institutæ exemplum descri-
 „ pta, excellentis ingenii dignitatem po-
 „ steris commendavit. Sanctioribus au-
 „ tem Christianæ disciplinæ studiis postre-
 „ mo se exercuit, patriamque à religiosæ
 „ pacis perturbatoribus sparsis insanæ do-
 „ ctrinæ in vulgus libellis infestatam, edi-
 „ tis aliquot patrio sermone voluminibus
 „ multa cum pietate defendit. Tertiodeci-
 „ mo autem die post Roffensem Thomas
 „ Morus, integer animi scelerisque pu-
 „ rus, eadem Henrici VIII. Regis sævitia,
 „ hunc vitæ exitum tulit: pridie ejus die,
 „ qui à divi Thomæ Cantuariensis corpo-
 „ ris corporis translatione, tricentesimo
 „ & quinto decimo post anno solenni ritu
 „ sacer habebatur. *Hactenus Ge. Lilius.*

EX-

„ tendit, in cuius gratiam Spiritei Hetru-
 „ sci equitis libellum haud illepedo argu-
 „ mento ad talorum iactum deductas sor-
 „ tes interpretantem, ex Hetrusca Lingua
 „ in Brirannicam, periucunda adhibita ser-
 „ monis gratia, convertit.

EXPOSITIO

fidelis de morte

D. THOMAE MORI

et quorundam aliorum insignium

virorum in Angliā. •

Anno M. D. XXXV. (e)

p. 2.) P. M. CASPARI AGRIP.

S. D.

QVoniam iuxta Pythagoræ sententiam oportet omnia esse communia, recte collegit Euripides, & dolores inter amicos oportere communes esse. Accipies igitur vir amicissime ab amico minime læta, sed omni lacrymarum genere bonis omnibus deploranda, quanquam arbitror famam istuc iam dudum omnia pertulisse priusquam ad nos, de morte quorundam apud Anglos insignium virorum, sed præcipue THOMAE MORI, dum viveret, eius regni

Q 2

Baro-

(e) Locus impressionis & nomen auctoris abest. Scripta est hæc epistola Lutetiæ Paris. 1535. In titulo exempli mei pervetusta, forte ipsius auctoris, manus adscripsit: „Gregorio Curtio Præceptoris suo & Dn. „optimo dono dat. „ Adiecti numeri notant paginas veteris editionis.

Baronis inclyti, ac supremi iudicis, quem illi Cancellarium appellant, qua dignitate non est apud eam gentem alia maior excepto Rege, eoque quum prodit, aureum sceptrum imposita corona Cæsarea gestatur ad unum latus, ad alterum liber. Quæ vero sum narraturus, partim è schedis Gallice scriptis, quæ hic circumferuntur desumpsi, partim è rumoribus. Nam nihil horum vidi. Sed priusquam aggrediar, paucis describam Londoniensis urbis situm. Civitas in latum angusta, ad Thamysim flumen sic in longum porrecta est, ut videatur non posse desinere, unde & nomen videtur p. 3.) inditum, siquidem apud Flandros loca mari vicina Dunen appellant. Indidem dictum videtur Galliarum Lugdunum, quasi dicas, longas ripas. Ad orientem in extremo habet arcem bene munitam, qua reges interdum utuntur, vulgus Turrim appellat. Sed in eadem servari solent viri nobiles aut aliàs dignitate quæpiam præminentes, qui videntur aliquid adversus Regiam maiestatem deliquisse. In altero extremo ad occasum insigne monasterium est Benedictinorum, vulgus appellat Vuestmonasterium, & huic proximum Regis

gis palatium structuræ veteris, sed quo nunc reges parum delectantur. Palatio adiuncta est domus spatiosissima, nullis fulta columnis, in qua sedent iudices. Vtrunque ædificium flumini imminet, ut hinc illuc cymba vehi possint. In hac arce THOMAS MORVS posteaquam multis mensibus fuisset captivus, Cal. Iuliis an. Domini M.D. XXXV. productus est ad modo dictam Curiam capituli causam dicturus apud tribunal iudicum à Rege delegatorum. Ibat reus baculo innixus tam longam viam, corpore gravi ægrotatione in carcere debilitato, nihil tamen perturbationis vultu præ se ferens. Primum recitati sunt articuli criminum quæ illi obiiciebantur. Mox Cancellarius qui Moro successit, ac dux Nortfordii hunc in modum reum appellarunt. En vides p. 4.) Magister More, sic appellant mediocri dignitate præditos, te graviter deliquisse in Regiam Maiestatem. Attamen speramus te, si modo resipiscas, & abiures istam obstinatam opinionem, in qua hætenus tam procaciter perstitisti, veniam à Regis clementia consequuturum. Ad hæc Morus. Domini mei, ego summo cordis affectu ago vobis gratias, pro ista vestra

Q 3

amica

amica erga me voluntate. Tantum illud oro Deum omnipotentem, confirmare dignetur me in hac qua nunc sum sententia, ut in ea perseverem usque ad mortem. Cæterum quum reputo quàm proluxi quantæ graves articuli sunt quibus oneror, vereor ne mihi nec ingenium suppetat, nec memoria, nec oratio quæ sufficiat ad respondendum omnibus, præsertim quum in carcere tam diu fuerim detentus, in quo gravi ægrotatione contraxi corporis debilitatem, que me nunc etiam habet. Tum iussu iudicum allata est sella in qua sederet. Vbi consedisset, prosequutus est institutum sermonem hunc in modum. Quod ad primum attinet articulum, qui conatur ostendere meam in Regem malevolentiam, in negotio posterioris matrimonii, confiteor ingenuè, me semper resistisse illius serenissimæ Maiestati. Nec est animus super hoc negotio quicquam aliud dicere, quam quod hætenus semper dixi, ad hoc urgente me conscientia: per quam p. s.) ut non debebam, ita nec volebam principem meum cælare veritatem. Nec hic est ulla proditio quæ intenditur, quin potius mi id fecissem, præsertim in re tanti momenti,

menti, unde pendeat mea sententia, & principis honos, & regni tranquillitas, tum vere fuisset quod nunc obiicitur, malevolus, perfidus ac proditor. Ob hoc delictum (si modo delictum appellandum est) gravissimas dedi poenas, exutus omnibus facultatibus meis, ac perpetuo addictus carceri, in quo menses iam quindecim totos fui detentus. Sed his omissis tantum ad ea respondebo, quæ sunt huius negotii præcipua.

Quod obiicitur, me incurrisse in poenam violatæ constitutionis, quæ proximo consilio prodita est, me iam in carcere agente, quasi malitioso animo, perfidiose ac proditorie Regiæ Maiestati detraxerim, famam, honorem ac dignitatem, quæ illi per dictam constitutionem erat tributa, videlicet quod ibi declaratur sub Iesu Christo supremum caput Ecclesiæ Anglicanæ, in primis respondebo ad hoc quod mihi obiicitur, quod Domino Secretario Regis ac venerabili Maiestatis illius consilio, rogatus quæ mea esset de hoc ædicto (f) sententia, nihil aliud voluerim respondere, quàm me iam mundo mortuum esse, nec istiusmo-

Q 4

di

(f) Orthographiam exempli mei, & hic & alibi secutum me vides.

di negotiis amplius sollicitari, sed tantum
p.6.)meditari in passione Domini nostri Iesu
Christi. Dico me per istam vestram con-
stitutionem ob hoc silentium non posse
damnari capitis, eò quod nec vestrum ædi-
ctum, nec ullæ leges mundi possunt quen-
quam ob silentium, addicere morti, sed
tantum ob dictum aut perpetratum facinus.
De occultis enim solus iudicat Deus. Ad
hæc respondit procurator Regius interpel-
lans: At tale silentium, inquit, evidens ar-
gumentum est animi male sentientis de iam
dicta constitutione. Nam omnis subditus
sincerus ac fidelis Regiæ Maiestati, si de
dicta constitutione interrogetur, tenetur &
obligatur citra omnem dissimulationem re-
spondere categoricè: Regium edictum esse
bonum, iustum ac sanctum. Ad quæ Mo-
rus: Si verum est quod habetur in legibus,
eum qui tacet videri consentire, meum si-
lentium confirmavit potius vestram consti-
tutionem, quam improbavit. Iam quod
dicitis, omnem subditum fidelem obligari,
ut respondeat categoricè si interrogetur, &c.
Respondeo, bonæ fidei subditum magis
obligatum esse Deo, conscientiæ & ani-
mæ suæ, quam ulli alii rei in hoc mundo,
maxi-

maxime si talis conscientia qualis est mea, nihil offendiculi, nihil seditionis pariat domino suo. Nam illud pro certo vobis affirmo, quod nulli mortalium unquam detexerim hac in re conscientiam meam.

Venio nunc ad secundum accusationis caput, quo p. 7.) arguor contra dictam constitutionem molitus ac machinatus fuisse, eò quod ad Roffensem scripserim octo paria epistolarum, quibus illum animarim adversus istud edictum. Equidem vehementer optarim eas epistolas hic proferri ac recitari, quæ me vel convincerent vel liberarent. Cæterum quando illæ, quemadmodum prædicatis, per Episcopum exustæ sunt, ipse non gravabor recitare sententiam earum. In earum quibusdam agebatur de nostris privatis negotiis, pro vetere nostra amicitia ac familiaritate. In una quadam continebatur responsum ad Episcopi litteras, quibus scire cupiebat, quid & quo pacto respondissem de ista constitutione. Ad id nihil aliud rescripsi, nisi me iam meam composuisse conscientiam, ipse componeret suam. Animæ meæ periculo ac teste DEO vobis assevero, nihil aliud in illis litteris à me scriptum fuisse, harum

Q s

igitur

igitur causa non possum per vestram constitutionem addici morti.

Supereſt tertius articulus, qui intendit quod quum de vestra constitutione examinarer, dixerim eam esse similem gladio utrinque secanti, propterea quod si quis vellet eam servare, perderet animam: si contradicere, perderet corpus. Idem quoniam, ut dicitis, respondit Episcopus Roffensis perspicuum esse inter nos fuisse conſpirationem. Adhæc respondeo, me nunquam fuisse p. 8.) loquutum, nisi conditionaliter. Sic videlicet, si tale esset edictum, qualis est gladius utrinque incidens, quo pacto posset quis evitare, quin in alterum incideret periculum. Hæc mea fuit oratio. Quomodo responderit Episcopus nescio: si illius oratio cum mea congruebat, id nequaquam accidit ex conſpiratione, sed potius ex ingeniorum ac doctrinæ similitudine. Breviser illud pro certo habetote, me nunquam quicquam malitiose fuisse loquutum adversus vestram constitutionem: at fieri potuit, ut ad benignam Regis clementiam aliquid malitiose fuerit delatum.

Post hæc vocati sunt per quendam ex
ostia-

ostiaris, duodecim viri, iuxta gentis illius consuetudinem, quibus traditi sunt articuli, ut super illis consultarent, ac post consultationem iudicarent ac pronunciarent, utrum THOMAS MORVS malitiose obstitisset prædictæ constitutioni Regis, an non. Qui quum per horæ quartam partem secessissent, reversi sunt ad principes ac iudices delegatos, ac pronunciarunt Killim, hoc est, dignus est morte. Ac mox per D. Cancellarium lata est sententia iuxta tenorem novæ constitutionis. His ita peractis Thomas Morus hunc in modum orsus est loqui: Age, quando sum condemnatus, quo iure Deus novit, ad exonerandam conscientiam volo liberius eloqui quod sentio de vestra constitutione. Primum illud dico, me septem annis intendisse animum studiumque meum in p. 9.) istam causam, verum hætenus in nullo doctorum ab Ecclesia probatorum reperi scriptum, quod Laicus, aut ut vocant, secularis, possit aut debeat esse caput status spiritualis aut ecclesiastici. Hic Cancellarius interrumpens Mori sermonem, Domine More, inquit, itane tu vis haberi sapientior, meliorisque conscientia omnibus Episcopis, tota nobilitate,
toto

toto denique regno? Ad quæ Morus, Domine, inquit, Cancellarie, pro uno Episcopo quem habes tuæ opinionis, ego sanctos & orthodoxos viros habeo plures centum mecum sentientes, & pro unico vestro concilio, quod quale sit Deus novit, pro me habeo omnia concilia generalia annis ab hinc mille celebrata, & pro uno regno, habeo Franciam cæteraque orbis Christiani regna omnia. Hic dux Nortfordii interpellans. Nunc More perspicue liquet tua malevolentia. Ad quæ Morus, Milordt, sic Angli compellant insigni dignitate præstantes, ut hæc loquar non incitat malevolentia, sed cogit necessitas ad exonerandam conscientiam meam, teste Deo, qui solus scrutatur corda hominum. Præterea dico & illud, constitutionem vestram esse perperam factam, eo quod vos professi estis, & iureiurando vosmetipsos obstrinxistis, nihil unquam molituros adversus sanctam Ecclesiam, quæ per universam ditionem Christianam unica est, integra & individua, neque vos soli ullam habetis auctoritatem citra aliorum Christianorū consensum p. 10.) condendi legem, aut instituendi concilium adversus unionem &

con-

cordiam Christianitatis. Nec me fugit, quam ob rem à vobis condemnatus sim, videlicet ob id, quod nunquam voluerim assentire in negotio novi matrimonii Regis. Confido autem de divina bonitate ac misericordia, fore, ut, quemadmodum olim Paulus Stephanum persecutus est usque ad mortem, & tamen iidem nunc unanimes sunt in cœlo, ita nos, qui nunc discordes sumus in hoc mundo, in futuro seculo pariter simus concordēs, & perfectā charitate unanimes. Hac spe fretus precor Deum, ut vos servet unā cum Rege, eique dare dignetur bonos consultores. His ita peractis THOMAS MORVS reductus est in turrin. Hic obiter accidit spectaculum ipsa condemnatione miserabilius. Margareta (g) filiarum Mori natu maxima, mulier præter

(g) Hæc, ni me omnia fallunt, uxor fuit Guil. Roperi, cuius vita Thomæ Mori, soceri sui, describitur in Act. Erud. 1718. p. 475. sqq. ubi & hæc ipsa Margaretha pietate sincera, morum suavitate & eruditione illustris dicitur. Quæ ibidem de familia Mori æri incisa memorantur, illustrari nunc possunt ex vita Erasmi auctore Sam. Knight, in cuius p. 310. exhibet

ter eximiam formæ venustatem cum summa dignitate coniunctam, iudicio, ingenio, moribus & eruditione patris simillima, per mediam populi turbam, perque satellitum arma semet iniecit, & ad parentem penetravit. Quum & mulier esset, & natura cum primis verecunda, tamen & metum & pudorem omnem excusserat impotens animi dolor, cum audisset patrem in Curia morti addictum esse. Hoc accidit priusquam Morus arcis portam ingrederetur. Ibi in charissimi parentis collum irruens, arctissimo complexu aliquandiu tenuit eum. Cæterum ne verbum p. 11.) quidem interim potuit proloqui. Curæ, inquit Tragicus, leves loquuntur, ingentes stupent. Movit stipitatores tamen si duos hoc specta-

exhiberi aiunt *Cel. Act. Erud. Collectores* (1727. p. 35.) Familæ Thomæ Mori delineationem, ab Holbeinio factam, & Erasmo dono missam, de qua hic magnopere sibi gratuletur in Epistola latina ad Mori filiam Margaritam Roperam, quam Britannia suæ decus vocet. Conf. omnino troisième Relation par Charles Patin, Medecin de Paris, p. 31. 32. cuius libelli exemplum, quod possideo, dono se accepisse ab Exc. D. authore, manu sua possessor aliquis adscripsit.

ſpectaculum. Horum itaque permiſſu Morus his verbis conſolatus eſt filiam. Margareta patienter feras, nec te diſcrucies amplius. Sic eſt voluntas Dei. Iam pridem noſti ſecreta cordis mei: ſimulque dedit oſculum ex conſuetudine gentis, ſi quem dimittunt. At illa cum digreſſa eſſet ad decem vel duodecim paſſus, denuo recurrit, & amplexa parentem ruruſus inhæſit collo illius, ſed elinguis præ doloris magnitudine. Cui pater nihil loquutus eſt, tantum erumpebant lacrymæ, vultu tamen à conſtantia nihil dimoto. Nec aliud ſupremis verbis mandavit quàm ut Deum pro anima patris deprecaretur. Ad hoc pietatis certamen plurimis è populari turba lacrymæ excidere. Erant & inter ſatellites ferum & immite genus hominum, qui lacrymas tenere non potuerunt. Nec mirum, quum pietatis affectus, adeo valida res ſit, ut immitiſſimas etiam feras moveat. Hic apud ſe quiſque reputet, quam valido ariete tum pulſatum ſit Thomæ Mori pectus. Erat enim erga ſuos omnes adeo Φιλόσοφος ut non alius magis, ſed eam filiam ut erat, eximiis prædita dotibus, ita diligebat impenſius. Morum fortiter excepiffe ſententiam

tiam mortis, aut etiam carnificis securim minus admirandum existimo, quam pietatem erga suos potuisse vincere. Nihil enim p. 12.) addubito, quin hic doloris gladius crudelius vulnerarit Mori præcordia, quam illa carnificis securis, quæ collum amputavit.

Die Mercurii sequente, hoc est, septimo die Julii productus est in planiciem, quæ est ante arcem. Mos est illic, ut afficiendi supplicio, de ponte plebem alloquantur. At Morus paucissimis verbis est usus, tantum orans qui aderant, ut pro ipso Deum orarent in hoc mundo, se vicissim in altero mundo precaturum pro ipsis. Mox hortabatur atq; instanter rogabat, orarent (h) Deum pro Rege, ut illi dignaretur impartire bonum consilium, contestans se mori fidelem ac bonum Regis ministrum, ac Dei in primis. Hæc loquutus prompte constantique vultu flexis genibus cervicem posuit securim excepturus, non sine gravi multorum gemitu. Erat enim bonis omnibus charissimus.

Quæ hætenus narravi, ferè continebantur in scheda apud Parisios iactata, ac
per-

(h) Ita rescribo: In meo exemplo est: oraret.

per manus hominum volitante. Quisquis autem scripsit, videtur actis interfuisse. Quæ deinceps referam, partim ex amicorum literis, partim è rumoribus accepi. Paucis ante diebus, hoc est, xv. Cal. Iulias IOANNES PHISCHERVS Episcopus Roffensis &c.

NOTA.

Cetera ad institutum meum non pertinentia, quæ de morte aliorum insignium virorum in Angliæ agunt, non tam brevitatis ergo, quam quod exemplum meum posthac nonnihil mancum est, omittere cogor, quamvis primo in animum induxissim, scriptum hoc integrum, illis, quæ mihi desunt, separatim asterisco notatis, recusum dare. Quodsi tamen benevoli alicuius possessoris beneficio exemplum integrum, nec aliqua sui parte deficiens, nactus fuero, non ipse solum, integritati exempli mei consulturus, gratissimo id agnoscam animo, sed & lectoribus meis gratum forte fuerit, in sequentium fasciculorum aliquo, scripti huius continuationem videre, quæ non amplius quidem in Thoma Mori recensendo supplicio versatur, subinde tamen adhuc nonnulla cognitu haud iniucunda de eodem inspergit. Interim cum supra p. 254. in nota, Erasmi epistolæ ad Margaretam Roperam, Thomæ Mori filiam, mentionem fecerim, eaque ad illius

Tom. I. Fasc. II. R femina

femina indolem erectam plenius cognoscendam, multum faciat, non gravabor eam superiori de eadem femina narrationi, mantissæ loco, adiungere. Est vero in opere Des. Erasmi Epistolarum, editionis, quæ Basileæ anno M. D. XXXVIII. in fol. in officina Frobeniana per Hieronymum Frobenium & Nicolaum Episcopium excusa est, Libri XXVI. epistola quinquagesima, § pag. 1048. sic legitur.

Erasmus Rot. Margaretæ Roperæ
S. D.

„ Vix ullo sermone consequi queam,
 „ Margareta Ropera Britanniaë tuæ de-
 „ cus, quantam animo meo persenserim
 „ voluptatem, quum pictor Olpeinus to-
 „ tam familiam istam adeò feliciter expref-
 „ sam mihi repræsenterit, ut si coram ad-
 „ fuisset, non multo plus fuerim visurus.
 „ Frequenter illud apud me soleo optare,
 „ ut semel etiam ante fatalem vitæ diem
 „ intueri contingat charissimam mihi so-
 „ dalitatem, cui meæ qualis qualis est, vel
 „ fortunæ vel gloriæ bonam partem debeo,
 „ nec ullis mortalium debeo libentius.
 „ Huius voti non minimam portionem
 „ mihi præstitit ingeniosa pictoris manus.

Omnes

Omnes agnovi, sed neminem magis quam
te. Videre mihi videbar per pulcherri-
mum domicilium relucentem animum
multo pulchriorem. Equidem vobis omni-
bus istam gratulor felicitatem, sed præ-
cipue parenti optimo. Quo minus autem
vos poeniteat studiorum vestrorum, mi-
ro epistolam probatissimi viri, qui apud
Mariam quondam Vngariæ reginam Cæ-
saris sororem ecclesiastæ munere fungi-
tur. Ea est cui dicavimus Viduam Chri-
stianam, quam arbitror tibi lectam esse.
Ex literis autem intelliges, quanto studio
tam nobilis fœmina complectatur libera-
lium studia literarum. Nunc experitur
illa non esse vanum quod scripsit M. Tul-
lius, literas in rebus secundis esse orna-
mento, in adversis solatio: quanquam
illa cum primis erat digna perpetua pro-
speritate. Cæterum quando ita sunt res
mortalium, ut Euripi in morem alternis
vicibus affluant ac defluant, animus est
adversus omnem fortunæ habitum philo-
sophiæ præsidis muniendus. Hæc scripsi
plusquam obrutus negotiis, adhæc im-
becilla valetudine: quare tua dexteritas
hoc efficiet, ut omnes tuæ sorores sibi

R 2

persua-

perfuadeant, hanc esse iustam epistolam,
& non minus ad singulas quam ad te scri-
ptam. Ornatissimæ matronæ Aloysiæ
matri tuæ multam ex me salutem dices,
eique me commendabis & amanter & di-
ligenter. Effigiem illius quando coram
non licuit, libenter sum exosculatus.
Ioanni Moro germano tuo precor omnia
prospera. Verum seorsum mihi saluta-
bis ornatissimum Roperum coniugem,
tibi merito charissimum. Dominus ser-
uet vos omnes incolumes, omniaque ve-
stra suo omnipotenti favore prosperare
dignetur. Datum apud Friburgum Bris-
goiæ postrid. Non. Septemb. Anno Mil-
lesimo quingentesimo vige-
simo nono.



III.

TVMVLTVARIE CONSCRIPTA
SCIAGRAPHIA COMMENTARII

DE VITA

IACOBI FABRI

STAPVLENSIS. (*)

Menagiana, T. III. p. 273.

*C'est dommage, que nul Auteur bien instruit
des particularitez. de la vie de Jaques le
Fèvre, n'ait entrepris de les recueillir.*

C. A. Heumañus in conspectu Reip. Lit.
Cap. VII. §. XIII. p. 103. edit. auct.

*Quis, quæso, erat Socrates? Obstetricis filius.
Quis Erasmus? Spurius. Quis Lutherus?
Pauper monachus? Quis Faber Stapulensis?
Rustica proles. Ultimo loco addo, hos, quos
dixi, Primates literarios dignos esse præter
cæteros, quorum vitæ diligenter & copiose
exponentur posteritatiq; tradantur, ac opera
pretium facturum, si quis comprehensas uno
volumine edat vitas Primatum literariorum.*

R 3

CAP.

(*) Conf. quæ post præfationem Fasciculi I. di-
ximus. Bayle, Moreri, Hoffmannus, Kœnig,
Freher,